



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Epistola VI. Hilari papæ ad eumdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

fali ecclesiæ orationum suarum nobis vota coniungant.
Deus te incoludem custodiat, frater carissime. Data V III.
Kalendas Februarias, D N. Seuero Augusto consule.

NOTA.

[Epistola.] Hæc epistola circularis est & encyclica, ex more & consuetudine de noui pontificis creatione ad omnes ecclesiæ transmissa.
Hæc eiusdem argumenti, corumdemque verborum ad Leontium scripta, extat in vetere codice Arelatensis ecclesiæ, vnde cum sequentibus omnibus acceptæ, ab illustrissimo cardinale Baronio primum in lucem emissæ inueniuntur.

EPISTOLA VI.
H I L A R I P A P Æ
A D L E O N T I V M.

Respondet ad literas Leontii, quas scriperat cum præcedentem Hilari epistolam nondum accepisset.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarius papa.

DILECTIONI meæ, quæ circa ecclesiæ Gallicanas, omnesque in eis Dominis sacerdotes, etiam in inferiori gradu positos, abundat, multum accedit augmenti, quod per virum spectabilem Pappolum filium nostrum sermonis tui ad me sunt delata principia. Ex quo tamen coniicio, paginam meam, quam dudum de episcopatus mei primordiis misi, nec dum traditam tibi fuisse cum scriberes; de qua utique non filuissem, nisi per latorem aliqua causa tardasset. Vnde quod & consuetudo poscebat, & caritas, iampridem me executum fuisse significo, & hoc ipsis literarum exemplaribus, quæ direxi, plenius nosse vos cupio; vt officio fraterno in nullo intelligatis fuisse me desiderem, & ita vicissim frequentandis studeamus alloquiis, vt vicem nobis communis praesentiæ scribendi cura compenset, frater carissime. Affactus itaque tui gratiam perire non passus es, quod ei sollicitudini intentum te esse cognosco, vt custodiendis paternorum Canonum regulis studere me cupias. Quo desiderio nihil concipi salubrious potest, quam vt in una ecclesia, cui oportet nec maculae aliquid inesse, nec rugæ, una sit in omnibus obseruatio disciplinae. Cui si aliquid eruditio-
nis aut correptionis addendum est, rectissime per vestram

diligētiam consuletur, si quemadmodum es dignatus scribere, tam instrūcta ad nos fuerit persona directa, quæ inquisitionem nostram plene ex omnibus possit instruere. Spondeo enim, quantum gratia Dei donat ut spondeam, hoc me ad vniuersalem sacerdotum Domini concordiam prouisurum, ut omnes non sua audeant querere, sed quæ sunt Christi studeant obtinere. Deus te in columem custodiat, frater carissime.

EPISTOLA VII.

HILARI PAPÆ

AD LEONTIVM.

Monet ut relationem mittat de Herme, qui ecclesiæ
Narbonensis episcopatum temere
vsurpasſe dicebatur.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus papa.

MIRAMVR fraternalitatem tuam ita legis catholicæ im-
memorem esse, ut quæque iniqua, & contra patrum
nostrorum statuta, in prouincia quæ ad monarchiam
tuam pertinet, si ipse aut non vis, aut non potes, etiam
nec nos silentii tui taciturnitate permittas corrigere. Si
quidem quod & rumore cognouimus, & quantum dili-
genter a diacono Ioanne, qui a magnifico viro filio no-
stro Friderico literis suis nobis insinuatus est, requisini-
mus, quod iniquissima usurpatione quidam Hermes epi-
scopatum ciuitatis Narbonensis execrabiliter temeritate
præsumperit. Quam rem decuerat sanctitatem tuam ut
nobis in vestigio indicaret. Qua de re, frater carissime,
monemus, ut si fides adhibeat assertis, seposita excusa-
tione, ad nos tam tuæ dilectionis, quam fratrum nostro-
rum, aut per portitorem literarum, aut per quem ipsi ele-
geritis, subscriptam manuum vestrarum relationem trans-
mittatis; ut quod definire possimus, recurrenti pagina pos-
fitis agnoscere. Deus te in columem custodiat, frater ca-
rissime. Data III. Nonas Nouembris.

N n n iij